



Otto Tiguri patre Heinrico senatorij ordinis uiro natus & educatus est, Anno circiter millesimo quingentesimo duodecimo. Is cum pre clara indole esset conspicuus, literarum fundamenta in patria fœliciter iecit, atque postea studiorum gratia sese ad Parisiensem, ac deinde Vuitebergen sem Academiam contulit. Illis artibus & Philosophiae magna diligentia operam dedit, atq; sua eruditio ne effecit, ut liberalium artium Magister crearetur. Postea circa annum millesimum quingentesimum tricesimum octauum Basileam uenit, & inter artiu professores receptus fuit. In eo Gymnasio Ciceronem exposuit, atq; Herodiani Græcā Historiam enarrauit. quem etiam ipse ibidem bonos authores enarrantem audiui, atq; publicē & priuatim præceptorem habui. Erat autem Otto ob intempestiva studia oculorum infirmitate detenus. itaq; me aliquoties ad se uocauit, atq; ipso ambulante quædam in Aristotele, Cicerone, Biblijs, aut alijs libris legere alta uoce iussit. Ipse interea ambulabat, atq; quandoq; ut cessarem iubebat, donec ea altius perpendisset. que quidem ipse eo tempore intelligere nequui. Nam in studijs ipse erat frequentissimus, qui legendo, scribendo, aut audiendo subinde suam eruditio nem, nouarum rerum cognitione, accumulabat. Deinde Tigurum in patriā rediit, atq; philosophiam, præsertim Aristotelis Ethica & Politica, magna dexteritate enarrauit.